





1762.12.30. 18  
DISSERTATIO IN AVGURALIS IVRIDICA

DE

FUNDAMENTO PRAELATIONIS  
QVO IVRE LVBECENSI GAVDENT  
IN SVCCESIONE LIBERI FRATRV  
GERMANORVM PRAE FRATRIBVS  
VNILATERALIBVS

ILLVST. J. CTORVM COLL. AVCTORITATE

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI ET CONSULTISSIMO

D. CAROLO FRIDERICO WINKLERO

CONSILIARIO CANCELL. IVRIS ANTECESSORE

FACVLT. IVRIDICAE NVNC DECANO

PRO

LICENTIA

HONORES IN VTROQVE IVRE SVMROS CONSEQUENDI

A. D. XXVIII SEPTFMBR. CIO IOCC LXII

PROPOSITA

AB

AVCTORE

ANDREA CHRISTOPHORO AHRENS

MEGAPOLIT.

IVDICII INFER. LVBECENS. PROCVRATORE

---

KILIAE  
EX OFFICINA BARTSCHIA



ILLVSTRI. MAGNIFICO. ET. SPLENDIDISSIMO  
INCLVTAE. AC. LIBERAE. REIPVBLCAE  
LVBECENSIS. SENATVI  
**VIRIS**  
ILLVSTRIBVS. MAGNIFICIS. GENEROSISSIMIS  
SVMME. VENERANDO  
IVRISCONSULTISSIMIS. PRUDENTISSIMIS  
AMPLISSIMIS  
**DOMINIS**  
**CONSVLIBVS**  
**SYNDICIS**  
**SENATORIBVS**  
**PROTONOTARIO**  
**SECRETARIIS**

\* 2

PATRIAE

PATRIAE. PATRIBVS. VIGILANTISSIMIS  
MVSARVM. PROTECTORIBVS. POTENTISSIMIS  
PATRONIS. SVIS. AETERNVM. VENERANDIS  
PERENNEM. FELICITATEM  
SPLENDORIS. INCREMENTVM  
CONSILIORVM. LAETOS. EVENTVS  
PARTAE. PER. VIRTVTES. GLORIAE  
POSSESSIONEM. SECVRAM. PRECATVR  
SIMVLQVE  
DISSERTATIONEM. HANC. INAVGVRALEM  
IN. DEVOTAE. MENTIS. TESSERAM  
HVMILLIMO. CVLTV. OFFERT  
AVCTOR

VIRI ILLVSTRES MAGNIFICI  
CONSVLTISSIMI SAPIENTISSIMI  
ET PROVIDENTISSIMI

**C**oram Vobis, MAECENATES  
OPTIMI, animo cultuque de-  
uoto depono qualescumque basce lucubra-  
tiones, consecratas NOMINIBVS VE-  
STRIS munierum ac meritorum gloria emi-  
nentissimis. Moles quidem grauissimorum  
negotiorum, quae VOS quotidie occupatos  
impeditosque tenent, facile a proposito me

auocare potuisset, nisi singularis illa indul-  
gentia atque humanitas VOBIS fere pro-  
pria, qua tot clientibus aures praebetis be-  
nignissimas, veniam mibi certissimam pro-  
misisset. Non quidem tam temerariae co-  
gitationes animum tenuitatis suae sibi probe  
conscium vexant, ut dignum me TANTIS  
NOMINIBVS munus adferre, putarem:  
hoc enim tamquam a me fieri posse, quis  
merita VESTRA cogitans crederet. Ea  
autem sunt, VIRI SVMMI, VESTRA  
in me, tamque praeclara beneficia, ut, qui,  
quum compensandi facultate prorsus videat-  
tur exutus, illa non saltem in luce quadam  
collocaret, et debit is celebraret laudibus,  
valde impudentem esse oporteat, frontisque  
pere exiguae. Non solum enim aduenam me,  
incertos fati fortuna eque tractus sequentem,  
statim benignissime et honorifice recepisti,  
sed

*sed etiam Patrum instar, ad promouendam  
salutem meam, et re et consilio ita mibi ad-  
fuiſtis, ut VOS, auctores et conditores feli-  
citatis meae venerari, Lubecam autem ca-  
rissimam, ut patriam alteram me intueri pos-  
ſe, vebementer mibi gratuler. Ausus ita-  
que sum, quod mea in VOS pietas atque re-  
uerentia exposcit, cuius hoc, quod VOBIS  
offerо, leuidense munusculum, publicum  
documentum esse volo. Intima mente sem-  
per haeredit tantorum, quibus me cumula-  
ſtis, beneficiorum recordatio, omneque stu-  
dium ego omnem operam in eo collocabo, vt  
nec reipublicae et patriae nouae inutilem,  
nec VESTRA gratia indignum ciuem me  
exhibeam. Supremum insuper rerum hu-  
manarum moderatorem supplicibus precibus  
flagitare numquam desistam, ut VOS PA-  
TRES! una cum illustribus et splendidissi-  
mis*

mis familiis VESTRIS sospites et incolumes  
quam diutissime patriae inprimis, tum VO-  
BIS ipsis et mibi conseruet, vtque consilia  
VESTRA, omnesque occupationes, ad pu-  
blicam salutem, cui tantopere innigilatis,  
dirigat et felici coronet euentu. Ita va-  
lete, VIRI SVMMI, atque in posterum  
quoque dignum VESTRO fauore atque pa-  
trocinio iudicate,

ILLVSTRIVM  
ET EXCELLENTISSIMORVM  
NOMINVM VESTRORVM

Scribent.  
Kil. d. 26 Septembr.  
MDCCCLXIX

Cultorem obseruantissimum  
ANDREAM CHRISTOPHORVM AHRENS



# DISPV TATIO IVRIDICA IN AVGVR ALIS

DE

FVNDAMENTO PRAELATIONIS QVO IVRE LVBE-  
CENSI LIBERI FRATRV M GERMANORVM IN  
SVCCES SIONE GAVDENT PRAE FRA-  
TRIBVS VNILATERALIBVS.

## §. I.

**S**uccessionis ab intestato, qua ad hereditatem hominis absque testamento defuncti primo descendentes, post hos adscendentes, et deinde collaterales vocantur, originem in legibus positius querendam, ex hisque illius fundamentum desumendum esse, cum sanioribus adfirmare non dubitamus. Nihil de ea disponit ius naturale, cui illa aequa incognita, ac ipsum testamentum, et ex hoc descendens ius succedendi. Potius mortuo domino dominium quoque cessat, et ipso extinto, bona quae possedit, in statu naturali eam conditionem reci-

A

recipiunt, quam ante occupationem habuere, adeoque incipiunt esse nullius. Quum vero in res huius naturae aequalia omnium sint iura, atque primo cedant occupanti; ita dominium etiam bonorum demortui illi erit adiudicandum, qui primus illa offendit, adprehendit, et illorum proprietatem sibi vindicat. Hic, quamuis extraneus, et nullo sanguinis vinculo defuncto iunctus, omnes post se eodem nouum dominium adquirendi animo venientes rectissime excludit, et e contrario defuncti cognatus, qui ita commodis suis inuigilauit, vt sibi res relietas soli vindicauerit, iuris sui fundamentum non ex illo cognitionis nexu, sed ex prioris occupationis facto deducere solummodo potest. Interim satis vulgaris est sententia multorum, qui successionem ab intestato ex ipsis iuris naturalis scriniis hauriendam esse ideo sibi persuadent, quoniam ipsa defunctorum voluntate praesumpta nitatur, et auctoritas G R O T I I, qui successionem ab intestato tacitum testamentum ex voluntatis coniectura adpellauit(a), hunc errorem aut creauit, aut certe commendauit illis, qui in tanti viri verba iurantes, ab ulteriori et diligentiori perscrutatione omni lubenter abstinere solent. Ut vero raceamus, fictionum et praesumptionum exiguum, imo nullam in iuris naturalis disciplina esse adlicationem, ita, vt pro fundamento iuris alicuius poni nequeant, de mortuis qui velle desierunt, nulla plane voluntas, neque expressa, neque tacita, neque praesumpta praedicari potest, praesumi enim nequit, quod fieri ne quidem verosimile est.

(a) de I.B. et P. Lib. 2. c. 7. §. 10. Add. L. 4. c. II. §. 1.  
P Y F F E N D O R F F. de f. nat. et gene.

est. Quomodo itaque hic præsumi potest, factum quid esse a defuncto quod hic facere nequit, transfusse illum in proximos cognatos ius et dominium, quod paenes ipsum amplius non est? Quale præsidium in iure naturali præsumto erit testamento, quod de veri testamenti dispositione, requisitis, ac valore nihil præcipit (b)? Quid vero, annon descendentes minimum ad iuris illius vniuersalis aequa præcepta prouocare, et ex iis adscendentium mortuorum bona exclusis omnibus aliis, sibi vindicare possunt? Nonne eadem officii pietas, quae necessitatem alimentis vitae liberorum prospiciendi parentibus imponit, eosdem etiam cogit, vt ex se natis hereditatem suam relinquant? Nonne maxime inhumanum, et contra ipsam naturam foret, si hisce extranei illam præeripere possent, et ii, qui viuis parentibus vitac adminicula ab his vltro accipiebant, post eorum obitum omnibus carere debeant? Nonne potius omnium parentum commune votum hoc esse præsumendum est, vt liberis suis etiam post fata ex suis bonis prospiciatur? Sed frustra vota omnia atque desideria, siue proficia liberis, siue iisdem nocua a parentibus exspectantur defunctis, quibuscum nobis tamen in successionibus res est, neque omnibus parentibus eandem et quasi insitam de hereditate in liberos transferenda mentem esse, praeter legitimam, quam illis necessario relinqueret etiam inuiti tenentur, illae iuris dispositiones tibi abundantiter demonstrabunt, quibus exheredandi liberos facultas fuit restrigenda. Praeterea illa parentibus ad alimenta liberis præbenda imposta obligatio, si ad iuris naturalis placita ex-

A 2

mina-

(b) *Conf. GYNDLING in iur. nat. et Gent. c. XX. §. 65. sqq. et c. XX. §. 19.*

minatur, ultra illud tempus non durat, quo infantes ipsi sibi prospicere non possunt, cessat autem, postquam hi in eum statum venerunt, quo propria industria, propriisque laboribus adquisita ad sustentationem sufficiunt. Et si hoc forte quis negauerit, illud tamen vel inuitus quiuis concedere nobis tenebitur, eam parentum obligationem post ipsorum mortem finiri, adeoque ab illo officio parentum, liberos, dum in viuis sunt alimentandi, ad hereditatem liberis necessario relinquendam, argumentari tuto non libebit. Nihil itaque impedit, quo minus successionis ab intestato, quae et ideo legitima successio vocatur (c), originem et determinationem iuri ciuili tribuamus, cuius conditores, ad euirandas turbas varias atque molestias necessario oriundas, si in ciuitate cuiuis bona mortui inuadendi licentia foret relicta, ut ex prima occupatione ius in illa acquirere sibi posset, omnibus, qui in tabulis scriptis id quod post mortem suam fieri volunt, haud expresserunt, suos adsignarunt heredes, ordinemque certum in successionibus obseruandum constituerunt. (d)

## §. II.

Tantum vero abest, ut post introducta haec atque ubi-  
nis fere recepta successionum iura, dissidia circa adquisitio-  
nem honorum a mortuo relictorum cessauerint, ut potius  
illa indies augeri, et quamvis fere successionem litem progi-  
gnere

(c) *L. 8. D. de perit. hered. L. 2 § 4 et  
tot. tit. D. de suis et legit. hered.*

(d) *Causas, quae iura successionis  
legitimatarum omnibus fe-  
re populis commendarunt, et ad*

*illa accipienda eos induxerunt,  
eruditæ et iudicio peracri per-  
sequitur Perill. GEBÄVERVS  
in Progr. de iure Success. ap. ver.  
Germanos Goett. 1754 edito.*

gnere nouam, non absque ratione dixeris. Cessant quidem inter ciues bella, inter eos metuenda, qui in occupatione bonorum per mortem domini nullius factorum, ante legum ciuilium sanctiones concurrebant, et quorum quiuis alterum, ut ius suum potius esset, praeuenire studebat: sed non cessant bella ciuilia, quae de hereditatibus defunctorum, in perniciem saepe integrarum familiarum summo cum animi feroore suscitantur. Infinitae hac de re sunt lites, et nullae controvrsiae magis frequentes, quam illae, quibus super successionibus defunctorum in foro disputatur. Legum, quarum de ordine succedendi sat magna exstat copia, obscuritati, an huius mali originem debeamus, an interpretationum explicationibus, a vero legum sensu aberrantium, illasque pro arbitrio modo in hanc, modo in illam partem detorquentium, illa tribuenda sit, aliorum iudicio atque decisioni, quippe a scopo nostro nimis alienum relinquisimus. Nos potius ex ampla illa ac diffusa successionis materia unicum tantum delibare constituimus casum, praelationem liberorum fratrum vtroque latere iunctorum, praefratribus unilateralibus, secundum iuris patrii placita examinaturi, in quo ipso instituto perseguendo non deerit occasio, varios et hic ab aliis commissos norandi et detegendi errores.

## §. III.

De iure ciuili res expedita est, et nullis plane obnoxia dubitationibus. Deficientibus enim descendantibus et ascendentibus, ad successionem defuncti vocantur e latere venientes, seu collaterales, qui ob sanguinis vinculum,

A 3

nulla

nulla distinctione aetatis, potestatis, vel sexus obseruata, omnes remotiores excludunt. Sicuti autem proximior semper excludit remotiorem, ita fratres et sorores pri-  
mum inter collaterales obtinent locum, et quum fratres vel germani sint, seu bilaterales, vel vnilaterales, illi hos plane a successione arcent per expressam Constitut. in Nou. 118.  
 c. 3. Si defunctus neque descendentes, neque ascendentis reliquerit, primos ad hereditatem vocamus fratres et sorores ex eodem et ex eadem matre natos; his autem non existentibus, in secundo ordine illos fratres, ad hereditatem vocamus, qui ex uno parente coniuncti sunt defuncto, sive per patrem solum, sive per matrem. Quod si autem unilaterales, qui vel consanguinei sunt, vel vterini, inter se concurrunt soli, tunc distinctione bonorum facta, consanguinei in paternis, vterini in maternis praefreruntur, in ceteris autem bonis succedunt aequaliter. (e) Rationem huius dispositionis si in duplicitate vinculi quaesueris, facile me habebis consentientem, partim, quia ob illam magis omnino sibi iuncti sunt fratres bilaterales, quam vnilaterales, adeoque illi in successione fratris germani, his merito praeferendi; partim, quia ius ciuale duplex vinculum fortius ligare quam vnum, atque potius ius producere, passim inculcauit. (f) Neque fauor hic duplicitis vinculi in solis fratribus germanis subsistit, sed ad eorum liberos quoque porrigitur ita, vt hi liberos vni-  
lateralium, imo et ipsos defuncti fratres vnilaterales exclu-  
dant,

(e) L. 13. C. de legit. hered.

(f) vid. §. 2. J. de Adopt. L. 10. pr.

C. eod. Auth. itaque C. comm. de

success. Nou. 84. c. 1. in fin. Auth.

post fratres autem C. de legit.

hered. RICHTER, de iur. et ord.

succed. ab int. §. 3. m. 1. n. 4.

dant, effectu vicariae successionis, de qua infra pluribus dicendi erit occasio, per expressa cit. Nouell. verba in c. 3. *Si forte praemortuus frater, cuius filii viuunt, per utrumque parentem nunc defunctae personae iungebatur, superfites autem fratres per patrem solum forsan, aut matrem ei iungabantur: praeponantur istius filii propriis tibiis, licet in tertio sint gradu, sicut eorum parens praeponetur, si viueret.* Iure Sax. etiam inter fratres sorores bilaterales, ungezwiegte Brüder und Schwestern et fratres sorores unilaterales idem discrimen obseruantur, vt illi hos ad successionem non admittant, quoniam secundam regulam: die halbe Geburt tritt einen Grad weiter, bilaterales propiores defuncto, quam unilaterales habentur. (g) Ex quo consequitur, hanc per bilaterales factam exclusionem unilaterialium, hoc iure non quidem, ob vinculi duplicitatem fieri, sed ob praecedentiam gradus, quippe vno gradu semper remotior censetur, qui vno tantum latere iunctus est, quam germanus, hincque fratres unilaterales aequaliter cum germanorum liberis succedunt, non tamen in stirpes, sed in capita. (h) Interim tamquam singulare quid adnotari solet, quod iure Saxonico in remotioribus etiam collateralibus eo respiciatur, utrum a germano quis, an unilaterali fratre sit natus, atque hic in gradum remotiorem reiiciatur, ita, vt cum germani pronepote concurrat fratri vterini nepos, hocque non minus extendatur ad vltiores. (i)

## §. III.

(g) *Ius Prou. Sax. L. I. Art. 3. et L. II.  
Art. 20 et 30.*

*I. de Success. ab intest. in 3. ordin.  
n. 17.*

(h) *Vid. SCHNEIDEWIN, ad Tizi.*

*(i) STRYCK, de Succ. ab intest.  
Diff. 3. c. 3. §. 82.*

Ius Lubecense in casu, quo germanorum liberi cum defuncti fratris unilateralibus concurrunt, magis cum iuris civilis dispositione conspirat. Ita enim ordinat in Art. XXII. L. II. Tit. 2. **Volle Brüder und Schwester Kinder nehmen Erbe vor halben Brüdern und Schwestern, sofern der Erbnehmenden Kinder Vater, oder Mutter unabgesondert gewesen: Seynd sie aber abgesondert gewesen mit ihrem Theil Gutes, so ist halber Bruder und Schwester nächter Erbe zu nehmen, denn voller Brüder Schwester Kinder.** Tam clara sunt haec verba, tamque perspicua, vt vix illis dubium quoddam obmoueri posse videatur, et nihilominus contra illa a nonnullis tam in scriptis, quam in foro disputatum esse nouimus. Nullus, si interpretandi rationem maxime naturalem sequimur, huius legis sensus alias esse potest, quam vt secundum priora illius verba, liberi fratribus et sororum vtrinque coniunctorum, in regula praefferendi sint fratribus atque sororibus ex altero tantum latere coniunctis: cui tamen regulae in verbis posterioribus limitatio adiicitur, seu exceptio, vt nimirum eo casu, quando parentes liberorum ad successionem adspirantium separati fuerint, adeoque interuenerit separatio liberorum, peculiaria secundum ius Lubecense effecta producens, fratribus atque sororum unilateralium in succedendo iura debeant esse potiora. (k) Hanc explicationem cum ipsa iuris Lubecensis analogia optime conuenire, nemo negabit, qui in fundamentum, quo legis nostrae dispositio superstructa est, nobiscum paullo diligenterius

(k) Perill Lib. B. de CRAMER in n. 6. §. 50. Wettsächischen Nebenstunden P. VI.

tius inquiret. Duplex nimirum iure Lubec. nota est successio, altera ex iure communionis, ex iure proximitatis altera. In illa ad sanguinis proximitatem plane non respicitur, sed illi ius succedendi competit, qui cum defuncto vixit in communione: vnde fit, ut quandoque proximiores ob factam separationem, et per eam sublatam communionem, remotioribus non separatis, et qui in communione permanferunt, postponantur. In hac e contrario absque separationis, vel communionis consideratione, proximitatis solum ratio haberur, quae tamen non tantum ex propinquitate gradus diiudicanda est, sed potissimum ex dispositione legis, siue statuti, quod intuitu iuris proximitatis, huic vel illi personae competentis, ob duplicitatem vinculi, vel alia ratione, peculiare quid determinauit. Interim successio haec ordinaria et regularis, illa ex iure communionis autem sine dubio extraordinaria vocanda, et tamquam exceptio a successione ordinaria consideranda est, et si propter communionem a successione excluditur ille, cui communione desuper habita illa competeret, hoc extra regularem in statuto derterminatum ordinem succedendi fieri, per se iam sequitur. Praesupponit enim successio ex iure communionis, successioni regulari et ordinariae ob separationem, quae interuenit, locum esse non posse, adeoque ad successionem ex capite communionis prouocari nequit, nisi adsit, qui illius fundamentum, communionem nimirum, pro se praecipue allegare possit, qua deficiente, regulae est standum, et ordo succedendi regularis manet inconcussus. Quare nostro quoque iure remotior semper cedere debet proximiori, vnico hoc casu tamen

B

excepto

excepto, si hic fuerit separatus, ille autem communionem cum defuncto, de cuius successione quaeritur, continuauerit. Haec omnia simul sumta, illi, quam dedimus legis explicationi lucem egregie foenerantur, et demonstrant, eam legislatorum mentem fuisse: quod germanorum liberi regulariter, et nulla separatione facta, ob quam extraordinaria ex iure communionis successio interuenit, fratres et forores vnilaterales post se relinquant. (1)

## §. V.

Quae quum ita sint, nisi vim apertam textui nostro inferre velimus, statui non potest, fundamentum praelationis, quae in illo liberis germanorum tribuitur, in communione saltem quaerendum esse, ita, ut hac posita solum fratres vnilaterales anteeant, extra hunc casum autem et regulariter, hos illis anteponendos esse. Hoc enim si verum esset, verba articuli finalia regulam continerent, propositam post exceptionem in principio adlatam, quod an cum ordine bene dicendi conueniat, quem legislatores in primis obseruare praesumuntur, aliorum iudicio eo lumbentius relinquendo, quum de exceptione prius cogitare, quam regula certa, a qua illa recedere debet, stabilita est, vix ab homine sana ratione praedito exspectari potest. Quod si conditorum iuris Lubecensis ea fuisset intentio, ut fratres vnlaterales vtrinque iunctorum liberos in regula exclude-re debeant, necessario inde sequeretur, illos, si pariter ut horum parentes in communione persistirint, ad praela-

(1) MEVIVS in Comit. ad ius Lub. P. II. T. 2. A. 22. n. 6. et quem citat GOTTHMANN. Vol. II.

Conf. 25. Celeb. MANTZEL in iur. Mecklenb. et Lub. illustrat. Cent. I. Iud. 34. n. 17.

tionem prouocare posse, vbi enim nulla facta est separatio sed omnes in communione deprehenduntur, nulli ex iure communionis competere potest praerogativa, sed successioni regulari locus esse deber. Contrarium autem ex ipso textu nostro adparet, quippe secundum cuius tenorem nulla restrictione addita, liberi germanorum non separorum, vnilaterales a successione excludere, adeoque regulariter iure proximitatis gaudere, hi vero vi successio-  
nis extraordinariae cum demum locum priorem obtinere debent, si in communione permanerunt, illorum pa-  
rentes mediante separatione ex illa discesserunt. Quum itaque hic vnicus tantum casus exceptus sit, exceptio vero firmiter regulam in casibus non exceptis, in omnibus reli-  
quis etiam potior liberis germanorum pre fratribus vnila-  
teribus adsignandus erit locus. Huic opinioni robur  
exinde accedit haud leue, quod in iure nostro liberi ex  
fratribus et sororibus nati, hisceaequiparantur, atque paria  
cum his ipsis iura tribuuntur, ita, vt in successione patrui  
vel auunculi separati, amitiae vel materae separatae, sine di-  
stinctione, siue ipsorum parentes etiam separati fuerint siue  
minus, ipsis defuncti parentibus locum praeripiunt. (m) Si  
enim fratrum et sororum liberi parentes in successione exclu-  
dunt, quanto magis fratres defuncti vnlaterales ab illa arcere  
debent, qui post parentes demum ad successionem vocantur.  
Vti autem per fratres et sorores indefinite hic occurrentes,  
ex utroque latere iunctos et iunctas intelligi, nullum ad-  
mittit dubium, quum, quando statutum fratres nominat  
indistincte, hoc non pertinet ad consanguineos et veterinos,

B 2

sed

(m) *Ius Lub. Art. VII. L 2. T. 2.*

sed de germanis tantum loqui praesumitur: (n) ita vano ausu huic articulo opponitur, illum de successione filii a parentibus separati agere, hincque rationem exclusionis parentum atque fratrum vnilateralium in facto parentum quaerendam esse, qui iuri suo in hereditatem filii vltro renunciassent per separationem, cuius effectum ad fratres vnlaterales cum parentibus in communione permanentes, et quorum causa separatio facta, se extenderet, vt vna cum parentibus liberis germanorum cedere debeant. Tametsi enim non negemus, articulum hunc septimum de successione loqui filii a parentibus separati, quod verba illius initialia satis indicant: *Seynd Kinder von ihren Eltern abgesondert, und der eines ohne Leibes-Erben verstürbe, quamvis etiam concedamus, id producere separationem effectum ratione successionis parentum, vt hi pro mortuis, liberi autem tamquam parentibus orbati censeantur (o), adeoque ad hereditatem filii separati, parentes post fratres demum tam consortes, quam dissortes admitti: hoc tamen largiri nulla ratione possumus, fratres vnlaterales ideo, quoniam cum parentibus in communione perfliterunt, post germanorum demum liberos succedere.* In citato enim Articulo non solum fratres et sorores defuncti separati, sed etiam hisce deficientibus, illi, qui non separati fuerunt, horumque liberi ante parentes collocantur. Si itaque liberis fratrum bilateralium, ius praelationis p[re]fratribus vnlateralibus

(n) MEVIVS I.c. P. II. T. 2. A. 7. (o) Id. ad Art. 33. lib. II. tit. 2. n. 148. COTHMANNVS Vol. III, conf. 45. n. 30.

bus secundum regulam non competeret, sine dubio ordo succedendi in statuto ita determinandus fuisset, ut ad defuncti filii separati hereditatem primo ipsius sorores et fratres idem separati, post hos fratres et sorores non separati vel separatae, ex utroque latere coniuncti coniunctaeve, deinde fratres et sorores unilaterales, post hos demum germanorum liberi, minimum illi, quorum parentes in communione manserunt, et denique ipsi parentes vocantur. Hoc vero ibidem factum non est, et ne disponi quidem ita potuit, quoniam secundum ius Lubecens. semper parentum in successione potior est conditio, quam sororum atque fratrum ex uno latere iunctorum, siue separati hi sint, siue minus (p), ex quo tuto colligere licet, idem ius regulariter germanorum liberos proximiōres esse velle, fratribus unilateribus, qui nullo alio in casu proximitatis iure gaudent, quam si de successione queritur filii a parentibus non separati, quippe ubi hisce praemortuis defuncti fratres et sorores unilaterales omnino excludunt liberos. utroque latere iunctorum quorum parentes per separationem e communione exierunt. Ius Hamburgense quoque, quod ex iuris Lubecens. consuetudinibus varia recepit, et propter communem originem ad huius illustrationem mirifice saepe conductit, liberos germanorum fratribus unilateribus simpliciter et absque omni distinctione in successione anteponit (q), arque adeo a iure Lubecensi in eo tantum differt, quod secundum hoc distinguitur, utrum frater disfors, seu separatus, an confors, seu nondum

B 3 sepa-

(p) *Ius Lub.*, art. 13, P. II, tit. 2. (q) *vid. Statut. Hamb.*, P. III, T. 3, A. 14.

separatus decesserit, et frater vnilateralis excludat fratris germani separati liberos, mortuo fratre non separato. Iure Hamburgensi autem, separatio, deficientibus iis personis, inter quas ea est peracta, intuitu tertii nulla effecta producit, sed hoc tantum efficit, ut liberi ob parentum coniugium in totum separati, patri binubo, vel matri succedere nequeant, et vice versa, non autem, ut parentibus iam defunctis, separati solum separatis, non-separatis non-separatis succedant. Hinc parentibus non superstribus, separatio ratione successionis fratrum in bonis fratris defuncti legis dispositionem plane non mutat, secundum quam potius fratres germani, eorumque liberi semper etiam in successione fratris germani separati, fratribus defuncti vnilateralibus non separatis praefreruntur. (r)

## §. VI.

Quum iraque secundum art. 22. part. II. tit. 2. iuris patrii vnicus tantum casus exceptus est, quo a regula, in favorem liberorum fratrum vtrinque iunctorum stabilita recedi, et fratribus vnilateralibus ius potius in successione tribui debet, quisnam ille casus proprius sit, vltius dispiciendum erit. Si vltima huius Articuli verba consulamus, hocce sit, si germanorum pater vel mater a patre ipsorum certa bonorum parte adsignata, e communione dimissi et separati fuerunt, defunctus vero, de cuius successione quaeritur, in communione cum patre suo permanxit, qui mortua vxore, e contracto coniugio secundo liberos iterum suscep-  
pit.

(r) MÜLLER de succ. ab int. sec. ius ciu. Hamb. ac Belgicum Cap. III.  
§. 2.

pit. (s) Fac nimirum, Sempronium ex femina sua Caia duos procreasse filios, Titium et Meuium, quorum priorem adsignata certa bonorum parte segregauit, hunc vero in communione retinuit. Moritur Caia, et postquam Sempronius ad secunda vora transiit cum Terentia, quae ipsi filium parit Horatium, ipse vitam ponit. Titius filius suum obit diem, relictis duobus filiis, non minus Meuius e vita discedit, de cuius hereditate quaestio est. Liberi Titii illam sibi vindicare cupiunt, et sine dubio ipsis adiudicanda foret, si pater ipsorum communionem bonorum cum Sempronio continuasset; haec vero quum sublata est per separationem intercedentem, excluduntur per Horatium, qui mediante successione extraordinaria, ex iure communionis praeripit bona, quae illis extra hunc casum vi successionis ordinariae ex iure proximitatis competiissent. Ad hanc quum recurrere amplius germanorum liberi nequeant, ob separationem patris, ut nullum circa hunc casum dubium remaneat, paucis, quaenam illa separatio sit, quam casus noster continet, et Articulus supponit, et quid per illius verba: Soferne der Erbnehmenden Kinder Vater, oder Mutter unabgesondert gewesen; nec non per sequentia: Seynd sie aber abgesondert gewesen, mit ihrem Theil Guthes, intelligatur, commonstrandum erit. Sunt, qui hic de separatione parentum liberorum a fratre defuncto, de cuius successione disceptatur, agi sibi persuadent, non de illa, qua communio inter illos atque patrem communem subla-

(s) M.E.V. ad ius Lub. Art. 22. Lib. lib. II. tit. 2. n. 7 et 8. MANTZEL loc. cit. n. 17. Excell. B ÜNECKA V egregium nunc Senatus

Lubec, decus in diff. de separ. liber, ex iure Germ. cum primis Lubencensi. §. 25. COTH-  
MANN. vol. 3. Resp. 25. n. 32.

ta fuit, adeoque in casu proposito, ad praelationem Horatii sufficere existimant, si Titius cum fratre ad diuisionem bonorum paternorum conuolauerit. Videamus, qua specie ad defendendam hanc suam sententiam vtantur. Verbis nimis Art. 22. stricte inhaerent, atque distinguendum esse volunt inter separationem liberorum a parentibus factam, atque illam, qua communio, quae inter defunctum ipsiusque heredem fuit, tollitur, ita ut vox abgesondert in Statuto nostro occurrentis non praecise de liberis a parentibus separatis, sed etiam de fratribus et sororibus communionem inter se dissoluentibus, intelligi debeat. Quaeuis dissolutio societatis atque communionis, absque respectu personarum, inter quas illa facta, nomen separationis omnino meretur, quippe quae nihil aliud est, quam modus finiendo communionem inter diuersas personas subsistentem. Quae quum non solum inter parentes et liberos, sed post mortem parentum etiam inter fratres et sorores subsistat, separationem aequa inter hos, quam inter illos locum inuenire posse, et nihil obstare videtur, quo minus fratres separati non segregatis eadem ratione, ac liberi consortes dissortibus opponantur. Verba itaque citati articuli: *Soferne sie unabgesondert gewesen, si illum habere deberent significatum, quatenus a parentibus suis non fuerint separati, verba: von ihren Eltern, melioris determinationis gratia addenda omnino fuissent, vti alio loco, ybi successio parentum atque fratrum regulatur, expresse dicitur: So ferne sie aber von den Eltern nicht abgesondert.* (t) Quum vero eadem verba in nostro Artic. adiecta non reperiantur, ibidem de sepa-

(t) *Ius Lab. Art. 13. lib. II. tit. 2.*

separatione sermonem esse, facta inter liberorum parentes  
 atque defunctum, quippe de cuius successione hic tantum  
 agitur, probatione vteriori non indigere autmant. Pa-  
 rentum enim, quorum iura hic non explicantur, nullam  
 in toto articulo fieri mentionem, sed heredes solum et  
 illum, cui succedi debet, fratres nempe et sorores eorum  
 que liberos, atque ordinem succedendi in bona defuncti  
 fratris inter illas personas obseruandum, legislatores occu-  
 pare, et haud esse probabile, eos rem plane alienam, huc non  
 pertinentem, separationem nimirum parentum liberorum  
 ab ipsorum parentibus, absque sufficiente ratione disposi-  
 tioni suae immiscuisse. Et quid opus hac limitatione, cur  
 communio talis tamquam necessaria liberis germanorum,  
 vt fratribus vnilateralibus praeferrentur, praescribenda  
 fuisset, quaerunt, si verum esset, illos iam vi successionis  
 regularis, & absque iure communionis hisce anteponi? Ex  
 his adparere putant, aliam plane separationem et commu-  
 nionem hic intelligi, eam nimirum, quae inter defunctum  
 et liberorum parentes intercessit. Ad ipsum ius patrium  
 prouocant, illudque verba abscondit et abtheilen promiscue  
 de liberis et parentibus, de fratribus ac sororibus sine di-  
 stinctione usurpare dicunt. In Articulo VI. enim Lib. II.  
 Tit. 2. legimus: Wenn ein Mann und Frau Kinder mit einen-  
 der haben, verstirbt ihr eins, es sey Mann oder Weib, welches  
 überbleibt, das theilet das Guth mit den Kindern, so nicht ab-  
 gesondert seyn: Verstirbe nun der Kinder eins, mit welchen  
 die Eltern vermassen getheilet, ehe und zuvor die Kinder unter  
 sich selbst getheilet hätten, so vererbet dasselbe sein Theil auff  
 die andern, welche mit ihm im gesammten GUTH gesessen,

zu gleichen Theilen. Quis hic, aiunt, fratres consortes et dissordes non inuenit, vti liberos separatos et non separatos? Et quis non fatari cogitur, de fratribus et sororibus hic agi, communionem in qua cum parentibus steterunt, post horum mortem, quod saepe fieri solet, minimum ad certum quoddam tempus continuantibus? (u) Nil clarus esse posse verbis articuli 4. lib. III. tit. 9. sibi persuadent, qui sine dubio de fratribus et sororibus ageret, inter quos, quasue diuisio seu separatio nulla peracta, sed bona hereditaria in communione relictā, atque ibidem coheredi, qui negotiando cum his bonis quid lucratur, illud cum fratribus et sororibus nondum separatis, seu consortibus communicare, et diuidere iniungi. Quare etiam non infrequens sit, vt apud interpretes et Commentatores iuris Lubecensis fratum consortium, separatorum et non separatorum saepius occurrat mentio. (v) Ex quibus omnibus concludere non dubitant, Art. nostrum 22. adplicandum solum esse ad casum, vbi communio illa bonorum inter fratres atque sorores, de qua Art. 3. et 4. Lib. III. Tit. 9. agitur, perstitit inter defunctū eiusque fratres atque sorores germanos germanasque, eo tempore, quo ille, relictis liberis e viuis discessit, qui tunc proximiores in successionē, quam fratres ac sorores unilaterales esse, hi e contrario illos excludere deberent, si ab illa communione fratrum atque sororum, segregatio per acceptam debitām portionē fuerit facta. (x)

§. VII.

(u) STEIN, in der Abhandl.  
des Lüb. Rechts lib. II. tit. 2.  
§. 213. not. \* p. 290.

(v) MEVIVS l. c. art. I. tit. 2.  
L. II. n. 6. §.

(x) STEIN, l. c. §. 271, not. \*\*  
p. 396 §.

Sed omnia haec tantum robur non habent, ut non facilissimo negotio refelli queant. Quamuis enim quilibet liberenter concedet, verbum separatio, die Absonderung, in generaliori atque nativo suo significatu actum quemlibet denotare, quo communio quaedam rerum vel personarum, diuisione, scissione, vel alia quacunque ratione tollitur; tamen iam non de hoc, sed potius de illo sensu solliciti esse debemus, qui huic voci in iure Lubecensi tribuitur. Quoties vero in eo vocabulum: separatio, seu Absonderung occurrit, toties per illud liberorum a parentibus factam segregationem denotari, non solum ex variis huius juris locis illorumque rite instituta explicatione, sed in primis etiam ex illa, quam conditores Statuti nostri de vero sensu vocis abgesondert, suppeditarunt descriptione, luculentissime adparet. Quid enim clarius hisce verbis esse potest: Würden Eltern, so beyde im Leben, ihre Kinder all oder etliche von sich absondern, oder aber, da eins der Eltern tod, das am Leben bleibende, den Kindern vor dem Rathe einen Ausspruch thun; solches soll geschehen und verstanden werden von allen ihrem Guthe, väterlichen und mütterlichen, von dem lebendigen, als verstorbenen. Und das seyn und heissen nach unsren Rechten abgesonderte und abgetheilte Kinder. (y) Quae verba vna cum dispositione Art. 34. satis superque demonstrant, separationem, quae variis modis fieri potest, (z) quacunque demum ra-

## C 2 tione

(y) vid. ins Lub. art. 33. lib. II. tit. 2.

(z) Quatuor separationis species fingit M E V. ad ins Lub. lib. II. tit.

2. art. 33. n. 14. testamentariam

nimirum, solemnem, conuentionalem et eam quae tempore elocationis liberorum expeditur. Solemnum tantum, reiecta etiam

tione instituatur, concursum supponere parentum atque liberorum, hincque ab interpretibus iuris nostri recte definiri: quod sit actus legitimus, qua liberi a parentibus, eorum, quorum interest, consensu interueniente, data vel adsignata conueniente bonorum communium parte a communione remouentur, inque statum non-liberorum, ratione successionis deducuntur. (a) Quae, quum ita sint, prono inde sequitur alueo, separationem in sensu iuris nostri, inter liberos atque parentes solum locum habere, adeoque diuisionem paternae hereditatis inter fratres factam, neque separationis nomine venire, neque effecta separationis, in successione in primis se exserentia, ad hanc pertinere, neque eiusmodi fratres diuidentes, separatos in sensu iuris Lubecensis adpellari posse; (b) quum vox abscondere, seu abtheilen, abfinden, abschichten, in nostro statuto numquam de simplici diuisione sumatur, sed vbiuis per eam eiusmodi separatio, qualis iam definita est, indicetur. (c) Si quis itaque hanc fratrum sororumque diuisionem

testamentaria admittit COTHMANN. vol. I. conf. 5. et vol. III. conf. 25. Nobis distinctius hic rationes subducere videtur Consult. BÜNECKAV in dissertatione eruditissima supra citata §. 12. qui separationem in necessariam et voluntariam, hanc in conventionalem et testamentariam; utramque in iudicialem seu solemnem, et extraiudicialem seu minus solemnem dispegit.

(a) Celeb. BÜNECKAV loc. cit. §. 13. STRYCK. de succ. ab int. diff. i. c. 4. §. 23. MEV. l.c. n. 4. Conf. STEVERNAGEL. memorabil. statut. Lubec. et Hamburg. axi- om. 8. STEIN loc. cit. §. 24.

(b) MEV. l. cit. art. 22. lib. II. tit. 2. n. 10. COTHMANN. vol. III. Conf. 25.

(c) Laudatus BÜNECKAV. l.c. §. 11.

sionem, separationem vocare vellet, summa imis miscendo, aperte illam cum hac confunderet, quae eo magis tamen a se inuicem distinguendae, quo maior diuisionis, quae inter parentes et liberos sit, et eius, quam liberi inter se suscipiunt, est differentia. Illa enim omnia habet effecta separationis, quae huic tribui nequeunt; illa debitam ex bonis parentum concedit portionem, ideoque excludit, haec autem singulis relinquit, quod eorum est, nec de aliena parte quid concedit; illa parentes' mortuis quasi adnumerat, et successione eos priuat, haec vero inter fratres atque sorores hanc fictionem numquam produxit. (d) Et nonne eodem fundamento separationem inris Lubecensis, ratione effectorum, quam in successionibus producit peculiarium in primis notandam, ad dissolutionem cuiusvis societatis, quam haec tenus diuersae personae coluerunt, vel ad institutionem distinctarum oeconomiarum, qua ex communi familia, quae inter fratres et sorores seruata est, quidam exeunt, quis applicare posset? Nam et per hanc et per illam, separationem, quatenus in latiori significatu sumitur, fieri nemo negabit. An vero iure adprobante hoc fieret, de eo merito dubitatur. Quoties enim verbi alicuius significatus per leges ipsas determinatus est, toties ille a I Cto et in foro semper sequendus, nec ultra ab ipso recedens interpretatione, quamvis cum vulgari verbi istius acceptione conueniat, admittenda est. Interim fratres et sorores separatos separatasue, fratribus et sororibus non separatis opponere, nihil vetat, imo, ut hoc fiat, res ipsa requirit. Eadem enim personae, quae ratione parentum liberi sunt

C 3

vel

(d) MEV. loc. cit. lib. II. tit. 2. art. 6. n. 21. in fin.

vel separati, vel non separati, inter se inuicem sunt fratres atque sorores, qui quaeue vel consortes vel dissortes esse possunt, non quidem propter factam, vel omissam inter se diuisiōnē hereditatis parentum, sed intuitu communionis, in qua vel cum parentibus perstiterunt, vel ex qua exierunt modo legibus p̄aeschripto, seu adprobato.

## §. VIII.

His ita positis firmo omnino stat tali, articulum nostrum 22. illam supponere separationem, qua liberorum parentes defuncti a patre vel matre segregati fuerunt, quamvis parentum ibidem exp̄esse nulla facta fuerit mentio. Superfluum enim plane hoc suifset, quum iure Lubec. nulla alia detur separatio, quam quae inter liberos et parentes celebratur, et haec semper intelligenda sit, quando vocabula abgesondert et unabgesondert, etiam simpliciter et non addita denominatione parentum occurruunt. Vti etiam Art. I. Lib. II. Tit. 2. dicitur: *Die dritten Bruder und Schwester wenn sie abgesondert seyn*, verbis: *Bon ihren Eltern*, non adiectis, quamvis hic de separatione a parentibus facta agi, eo minus dubitari potest, quoniam in illa fundamentum latet, cur parentes in successione fratribus et sororibus postponuntur. Neque obmoueri nobis potest, frustra hac ratione in Art. 22. ad separationem nondum factam prouocari, et sub hac limitatione germanorum liberis ius potius tribui, quum hoc ipsis vi successionis ordinariae p̄ae fratribus unilateribus iam competenter. Tametsi enim hoc verum sit, maneatque, quum tamen casus adsit, in quo liberi fratum utroque latere iunctorum per

per fratres unilaterales excluduntur, atque adeo a regula receditur, hanc exceptionem, per quam regula illa limitatur, expresse addere, necessitatis, et sapientissimi omnino fuit consilii. Erroneum insuper est, saepe citatum Articulum, de heredibus solum, et illo, cui hi succedere volunt, agere. Expresse enim ibidem pater et mater liberorum succendentium nominantur, qui tamen, quum illos iam mortuos esse, praesupponendum sit, inter personas succidentes referri nequaquam possunt: neque parentes fratrum bilateralium, quorum liberi succedere defuncto cupiunt, pro personis alienis hic sunt reputandi, de quibus nec cogitare, nec loqui legislatores potuissent, quum verbum unabgesondert ad illos procul dubio spectet, et continuata cum ipsis communio, vel facta ab iis separatio, in determinatione et decisione casus propositi utramque faciat paginam. Quod si enim communio inter successorem et defunctum rem perficere deberet, limitatio ita: Quatenus liberi germanorum non separati fuerunt, formanda fuisset, quippe de quorum, non de suorum parentum iure succendi quaeritur. Si enim hi usque ad mortem cum defuncto bonorum communionem continuauerint, liberi autem post mortem ipsorum ab illa recesserint per sic dictam separationem, seu potius divisionem successionem sibi ex capite alicuius communionis, tempore mortis defuncti adhuc subsistentis vindicare haud possent, quae tamen ipsis sine restrictione, si modo parentes separationem experti non fuerint, adiudicatur. Ut paucis rem expediamus, verba diuidere, *theilen*, et separare, *absondern*, probe sunt distinguenda. Prius promiscue in iure patrio occurrit, tam de divisione fratrum et sororum

rum inter se, quam de illa, quam parentes cum liberis scipiunt, quippe separatio est loco diuisionis, et ne huius difficultatibus implicentur parentes, ius nostrum ipsis concedit, ut liberos separare, i. e. loco dimidiae aliam congruam partem conuentione definitam illis constituere possint. (e) Posterius verbum autem semper communionis inter parentes atque liberos denotat solutionem. Quare in Art. 6. Lib. II. Tit. 2. respectu fratrum et sororum inter se, neutriquam verbo separare abscondere, sed voce diuidere theilen, vtuntur iuris conditores, dicentes: Ehe und zuvorn die Kinder unter sich selbst gescheilet hätten, quoniam separatio inter eos in sensu legali locum obtainere non potest. Hinc, quando in Art. 4. Lib. III. Tit. 9. de fratribus et sororibus nondum separatis, seu consortibus disposita quaedam inveniuntur, haec qui ad casum nostrum applicare, indeque probare veller, separationem proprie sic dictam ad has quoque personas pertinere, studio nobis errorum numerum ille augere videretur. Ex rubro enim huius tituli manifeste adparet, materiam ibidem tractari de societatisbus, et in citato Articulo casum proponi, vbi quis post mortem parentum, cum bonis hereditariis ipsi reliquisque heredibus communibus mercaturam facit, qui lucrum inde proueniens, cum fratribus suis atque sororibus, a parentibus viuis nondum separatis, ideoque in ipsorum bona relicta ius hereditarium indubitatum habentibus, diuidere cogitur, a quo fratres et sorores a parentibus separati, quippe quorum intuitu relicta a parentibus, bona hereditaria communia non sunt, recte excluduntur. Optime haecce

(e) Clariss. BÜNECKAV l. c. §. 5.

haecce non solum cum legibus societati prae scriptis, sed cum analogia etiam iuris nostri conueniunt, fratres autem sororesque non separatos separat asue ita parentum respectu nominari, eo minus dubium esse potest, quum fratres & sorores, quos quasue parentes viuentes non separarunt, consortium nomen in iure nostro accipient. Quod si ab illa, quam suppeditauimus, articuli 22. interpretatione recederemus, antinomia quaedam insignis, et contradicatio satis aperta statuti nostri statuenda foret. Si enim liberi fratum atque sororum, a successione patrui et amitae, auunculi et materterae separati et separatae ipsos parentes arcere debent, (f) quomodo quae so fieri potest, ut eadem personae secundum art. 22. per fratres et sorores unilaterales, secundum ius nostrum post parentes demum locum occupantes, vel in regula, vel certo in casu debeant excludi? Ut iraque haec ad iustam consonantiam redigantur, successio ex iure communionis in auxilium vocanda, et dicendum est, fratres unilaterales, qui vna cum defuncto haud segregati fuerunt, praeferriri liberis germani separati, alias secundum regular em successionem proximioribus. (g)

## §. VIII.

Sed firmiori adhuc fundamento nunc iura liberorum fratum germanorum nituntur, et neque in casu factae separationis in Art. 22. Lib. II. Tit. 2. iuris Lubecensis notati, hodie

a fra-

(f) *Ius Lub. lib. II. tit. 2. art. 7.*

(g) Conf. meritissimi olim reipublicae Lub. Syndici D. HER-

MANN, GEORG. KROHNII

Versuch von dem Vorrechte der  
vollen Geburth vor der halben  
app. ad cap. IX. §. 4.

D

a fratribus vnilateralibus excludi possunt, postquam introduc-  
to iure repraesentationis, secundum praescripta iuris com-  
munis, quod communionem bonorum cum suis attributis  
et effectis ignorat, hisce semper et omnimodo in succep-  
tione preferuntur tamquam proximiores, quippe quo-  
rum nomine non illi tantum veniunt, qui proprio iure ta-  
les sunt, sed ii quoque ita vocantur, qui mediante iure  
repraesentationis locum proximiorem occupant. (h) Hoc  
ce repraesentationis ius quidem iuris naturalis principiis  
aeque minus innititur, quam ipsa successio ab intestato le-  
gibus ciuilibus determinata, cuius partem illud esse, res  
ipsa loquitur, nihilominus tamen validissimum nunc in le-  
gibus fundamentum habet, de quarum valore nemo dubi-  
tare potest, atque secundum mentem Iustiniani, (i) est be-  
neficium iuris, quo remotiores a successione propter iuris  
rigorem exclusi, iure defuncti parentis ad alterius succep-  
tione ab intestato vocantur. (k) In linea adscendentia,  
quoniam pater locum filii absque absurdo subintrare non  
potest, quum contra naturam sit, vt is, qui pater est, filius  
fiat, illud non obtinet; sed regulariter tantum in succep-  
tione descendantium, qui perpetuo sanguinem trahunt ab  
illo

(h) STRYCK. de succ. ab intest. diff. l.c. 1. §. 75.

(i) Beneficium enim seu priuilegium Imperator fratum praemortuorum filiis se concessisse dicit, dum illos una cum fratribus defuncti ad successionem admisit. Nou.

18. 6. 3.

(k) GEORG. DIEDER. CARL AB ENGELBRECHTEN de iure repraesent. in succ. et an eodem in primis nepotes indigeant. §. 2. Conf. HEROLDVS de iure repraesent. c. 3. scđ. I. concl. i. STRYCK. l.c. §. 68.

illo, cui succeditur. His iam in Legibus XII. tabb. primus in successione adsignatus fuit locus, ita, ut non habito respectu gradus, omnes licet remotissimi, cum proximioribus uno eodemque iure succedant. Iure nouiori quoque nepotibus successio in stirpes vna cum liberis est confirmata. (l) Et tandem iure Romano nouissimo, sublato omni inter suos et emancipatos discrimine, ius repraesentationis, quando liberi primi gradus cum ulterioris gradus descendantibus concurrunt, satis clare introductum est, atque stabilitum. (m) Regula, quae in linea transuersali in primis notanda, quod nimurum proximior excludat remotorem, etiam legibus XII. tabb. in verbis: *Agnatus proximus familiam habeto, iam expressa inuenitur,* (n) secundum quam ergo a defuncti patrui hereditate excludendi sunt fratrum filii, patre eorum defuncto, cum patruis suis concurrentes. Hunc veteris iuris rigorem autem mutauit Imperator Iustinianus, cui iniquum videbatur praematuram parentum mortem liberis ob hanc ipsam iam satis deplorandis, adeo damnosam fieri atque funestam, ut hereditatem patrui defuncti, patrui adhuc superstites ipsis praeriperent, quum tamen pater eorum, si inter viuos mansisset, suam ex bonis fratri demortui adeptram partem in liberos suos trans-

D 2

tulisset.

(l) §. 6. *J. de hered.* quae ab intest.  
def. L. 1. §. 4. *D. de suis et leg.*  
*hered.*

(m) L. 2. *C. de suis et leg.* liber.  
*Autb. In successionem C. eod. Nov.*  
*118. c. 1.* Ius repraesentationis  
in linea descendente tamquam

otiosum atque superuacuum  
exulare putat ab ENGEL-  
BRECHTEN l.c. §. 4. sqq. et  
§. 9. sqq.

(n) CAII *Instit.* tit. XVI. de leg.  
success. PAVLI *Sentent.* Lib.  
VII. de testam. success.

stulisset. Quibus rationibus commotus, hisce desolatis parente beneficium dedit ex huius iure succedendi patruis, statuens: *Si autem defuncto fratres fuerint, et alterius fratriis auctororis praemortuorum filii, vocabuntur ad hereditatem isti cum de patre et matre Thii masculis et feminis, et quanticunque fuerint, tantam ex hereditate percipient portionem, quantam eorum parens futurus esset accipere, si superest esset.* (o) Et quemadmodum fundamentum introducti a Iustiniano iuris representationis in eo est positum, ut remotiores, existentibus proximioribus regulariter ob gradus distantiam ab hereditate exclusi, simul cum his ad successionem defuncti admittantur, ita vi illius nunc etiam fratum filii, vna cum patruis, defuncti patrui hereditatem adeunt.

## §. X.

Ast iure Germanorum veteri haec omnia secus se habent, quorum mores, vti in plurimis, ita etiam hic a iuris Romani principiis valde aberrant. Maiores enim nostros ne in descendantium quidem successione iuri representationis locum dedisse, non immerito colligimus ex Rec. Imperii de Ao. 1500. §. 18. quippe vbi illud non solum secundum iuris communis placita praescribitur, verum etiam consuetudines contrariae variis in terris Germaniae obtinentes abrogantur. Exemplum Bernhardi, Caroli M. ex Pipino nepotis, cui auus post mortem patris regnum Italiae, non quasi de iure ipsi illud compereret, sed ex sola pietatis ratione, et tamen cum quodam erga patrum Ludouicum Pium subiectionis nexu obseruando, concep-

(o) *Nov. 118. c. 3.*

( xxviii )

concessit, (p) satis superque demonstrat, vicariam successionem eo tempore incognitam fuisse. Et quum Ottonis M. adhuc aerate de illa acriter disputareretur, commissa lite gladiatorio iudicio, et Victoria reportata ab illis, qui censebant, fratrum filios cum patruis succedere debere, hic Imperator hanc successionem demum auctoritate sua confirmavit. Multo minus itaque in successione collateralium ius representationis antiquos Germanos adgnouisse, putandum est. TACITVS enim apud eos in successionibus post liberos, proximum gradum adtendi, satis clare commemorat, (q) qui modus succedendi successionem vicariam excludit, variis antiquorum Germaniae populorum constitutionibus potius plane reiectam. (r) In conuentu trium Ludouici Pii filiorum Lotharii, Ludouici Germanici, et Caroli Calui apud Marsnam Anno 847. habito, ab hac consuetudine, vi cuius fratres, fratri praedefuncti liberos a successione excludabant, quodammodo fuit recessum, non tamen ius representationis indistincte receptum, sed liberis portio patri, si adhuc viuerer, competens sub ea conditione adsignata, si ad obedientiam patruis praestandam forent parati. (s)

Quo

(p) THEGANVS c. 6. de gestis  
Ludou, Imper, inter PITHOI  
scriptores XII.

et 23. conf. GROT. de J. B.  
et P. L. II. c. 7. §. 30.

(q) de mor. Germ. cap. 20.

(s) vid. Conuent. ap. MARSNAM

(r) vid. HARTMANNI diss. de  
iure Sax. et Lub. ducatu Hol-  
sat, iuxta et ciuit. Lubecae  
qua representent, in success.  
collater. exulantibus §. 21.

I. ap. BALZIVUM Capit. T. 2.  
ibi: ut regum filii legitimam  
hereditatem regni secundum de-  
finitas praesenti tempore por-  
tiones post eos retineant, et hoc,  
quicunque e his fratribus super-

D 3

Quo iure itaque statui potest, in statuto Lubecensi, purissimo iuris Germ. fonte, fratrum liberis germanorum, mediante iure representationis, instituto plane alieno, beneficio, quod iuri extraneo originem debet, succurri? Et sane rationes adsunt haud infirmae, quibus viri doctissimi, quorum de iure patrio insignia sunt merita probare ad laborarunt, nullum in illo iuris representationis reperiri vestigium.(t) Non solum enim ius Lub. quod regulam constituit: *Je näher dem Sipp, je näher dem Erbe, siue: Das nächste Blut nimmt das Guth, proximitatem gradus accuratius, quam ius Romanorum obseruat, sed etiam in enumeratione omnium et singulorum ordinum heredum, nihil de successione disponit vicaria, nec remotiori ius tribuit occupandi locum parentis, ita, ut eodem, quo hic propinquior est gradu, ad successionem debeat admitti.* Pertinent huc verba art. 1. P. II. tit. 2. iur. Lub. *Wann einer stirbet, sein Guth, das er nachlässt, das empsangen seine nähesten Erben oder Erbnehmern; die ersten seyn des Menschen Kinder, Söhne und Töchter; die andern, Kindes Kinder; die dritten Bruder und Schwestern, wenn sie abgesondert seyn; die vierten Vater und Mutter; die fünften halbe Brüder und halbe Schwestern; die sechsten Großvater und Großmutter; die siebenten Vater und Mutter Brüder und Schwestern; die achtten derselben Kinder; hierinnen*

*stes fratribus fuerit consentiat, si tamen ipsi nepotes patruis obedientes esse consenserint.*

(t) KROHNII Versuch vom Vorrecht der vollen Geburth vor

*der halben in Erbschaftsfallen app. 2. ad cap. 9. §. 4. n. 3. et §. 7. STEIN in der Abhandlung des Lub. Rechts P. II. §. 270. not. \*\*\* et §. 271. not. \*\* HARTMANN, cit. diff. §. 29.*

innen seynd beschlossen alle Erben und Erbnehmen. Ex hisce cuilibet adparer, ius repraesentationis intuitu collateralium hic plane omitti, neque remotiorem quemquam cum propinquiore in eodem collocari gradu, neque ratione descendientium illud constitui, sed filios atque nepotes, quorum hi repraesentatione generatim recepta, vna cum illis succidunt, in diuersas et peculiares reiici classes, atque illos primum, hos secundum locum occupare. Neque fundamentum, quare in Art. 7. lib. II. tit. 2. liberi frarrum parentibus in successione praefreruntur, in repraesentationis iure ponendum, sed quum hic articulus casum proponit successionis filii a parentibus separati, haec facta separatio potius proxima ratio esse viderur, loci illius posterioris parentibus adsignati, quasi in talionem, quoniam nimirum ipso rum parentes per separationem ab auo auiaque factam, ab horum successione exclusi, eaque liberis ex secundo matrimonio procreatis conseruata fuit. Quemadmodum igitur per peculiarem iuris Lubec. prouidentiam fratres separati defuncto propiores sunt, quam ipsi adscendentes (u), quamvis secundum successionem regularem, hi illis sine dubio proximiiores sint; et secundum eandem fratres et sorores vnilaterales auo auiaeque praeponuntur (v), ita etiam, ex peculiari constitutione, ad euitandam nempe inter principia contradictionem, et ne melioris conditionis, patruus et auunculus, amita et matertera, quam ipsi parentes videantur, non autem ex repraesentationis iure deriuandum esse volunt, quando fratri filius et filia propiores, quam patruus et auunculus, seu amita et matertera, (x) et fratrum germa-

(u) *Art. I. L. II. T. 2.* (v) *Ibidem.* (x) *Ius Lub. A. 18. lib. 2. tit. 2.*

germanorum liberi, propiores, quam fratres vnilaterales dicuntur. (y) Diutius hisce immorari instituti nostri haud fert ratio, interim tamen cur magis probabilis nobis eorum videatur opinio, paucis exponemus, qui in variis statuti Lubec. reuisi locis, iuris representationis, in successione obliqua obtinentis, vestigia latere sibi persuadent. (z) Quum enim art. 7. P. II. tit. 2. decedente filio separato, eius fratres fororesque, nec non eorum liberi, ipsos parentes a successione defuncti arcere debent, ratione fratrum et sororum quidem nihil hic singulare occurrit, quippe qui secundum Art. I. parentibus praefreruntur. Sed quia eorum liberi vi Articuli 18. tantum defuncti patruo et amitae, materterae et auunculo praefreruntur, quae tamen personae in art. 1. longe post parentes, in septima demum classe locantur, luculentissima certe est mutatio per Art. 7. introducta, parificatio nimirum liberorum fratrum atque sororum cum his ipsis, cuius in solo iure representationis rationem inuenire licet, non in separatione. Non solum enim fratrum liberis, quorum parentes ab auis separati sunt; sed illis etiam, quorum parentes ab his non sunt segregati, et qui-  
bus

(y) *Ius Lubec. art. 22. L. II. tit. 2.*  
 Etiam secundum ius commune casum priorem non ex iure representationis, sed ex iure proprio, et respectu parentelae ideo decidendum esse, quoniam, ut liberi fratis, respectu patrui defuncti sint loco liberorum;

ita patruum parentis loco esse hincque illos, quasi descendentes, hunc, qua ascendentem excludere, cum aliis putat STRVV. Ex. 38. rhei 34.

(z) MEV. I. cit. art. 1. P. II. lib. II.  
 n. 20. sgg. COTHMANN. vol.  
 IV, Conf. 6. n. 13.

bus adeo aequale in horum bonis succedendi ius cum libe-  
ris secundi matrimonii competit, praerogativa p[ro]ae de-  
functi parentibus, tamquam suis auis ibidem conceditur.  
Eandem rationem quoque procul dubio supponit art. 18.  
quo liberi fratrum atque sororum germanorum proximio-  
res defuncti heredes vocantur, quam patruus et amita,  
auunculus et materterta. Quum enim omnes hae personae  
in pari gradu defuncti sint cognatae (a), nil, nisi ius repre-  
sentationis supereat, ex quo proximitas, illis p[ro]ae his adsi-  
gnata fluit. Quid quod in Codice Kolliano verba articulo 7.  
adiecta: *Ober derselben Leibes-Erben*, non legantur, inque eo-  
dem articulus 18. non inueniatur, aperto indicio, liberis fra-  
trum atque sororum reuifores ius succedendi potius, atque  
proximius, ac ipsis olim competit, tribuisse, adeoque ius  
Lubec. verus per ius reuifum hoc in passu esse mutatum, et  
ius representationis, tunc temporis ex iure Iustinianeo sa-  
tis cognitum, et per Leges Imperii iam introductum, huic  
mutationi ansam dedisse, quilibet etiam inuitus fateri tene-  
bitur. N[on]e que hoc mirum videri potest iis, qui in euol-  
uendis verutis et genuinis iuris Lubecensis Codicibus ope-  
ram impendunt, atque ex sedulo instituta illorum cum Sta-  
tuto reuifo comparatione perspectum habent, quam licen-  
tiose egerint cum iure nostro reuifores, dum non solum  
variis interpolationibus, et ex ipforum scriniis defumis  
additamentis illud auxerunt; sed etiam interpretationibus  
nouis atque particulis iuris Civilis atque Canonici illud de-  
formarunt egregie. (b)

## §. XI.

(a) Schema vid. apud STEIN. (b) vid. DREYERI *Viri incom-  
l. cit. lib. II. tit. 2. §. 271. not. \*\** parabilis, cuius in rempubli-  
p. 392. cam ciuilem et literariam im-

E

## §. XI.

Sed parum haec, ad corroborandam eam, quam defendendam suscepimus sententiam conducunt. Quid enim, si concedamus, nullam, ne minimam quidem in iure patro, iuris representationis adesse micam, nihil profecto inde concludi poterit, quam reuiores illius frustraneam duxisse operam, ea speciatim statuto inserere, quae intuitu iuris representationis per Constitutionem Imperialem de Anno 1521 de qua mox pluribus erit dicendum, praescripta fuerunt. Vnde sine dubio evenit, quod in art. I. P. II. Tit. 2. vbi gradus successionis secundum ius Lubec. recensentur, liberorum fratrum atque sororum nulla plane iniiciatur mentio. Tamquam notum quid enim atque indubitatum reuiores ius representationis supponentes, illos sub nomine fratrum atque sororum, quippe parentis personam praesentantes, comprehendere, et cum his in eodem gradu constituere voluerunt. (c) Reuisionem ipsam Ao. 1586. susceptam esse, constat inter omnes, (d) quo tempore ius representationis apud Lubecenses in viridi fuit obseruantia, quum iam anno 1564. receptionem et obseruationem Sanctionis Imperialis Lubecae decretam esse, inque ea stabilitam successionem vicariam, ab eo tempore ibidem viguisse, testetur KROHNIVS. (e) Hincque Iuris consulti Rostochienses, quamuis multae iuris communis et

Lube-

(c) mortalia sunt merita; diff. de loc. cit. art. VII. P. II.

(d) vid. HEINECCIVS in hist. iur. civil. Rom. et Germ. pag. 493.

(e) loc. cit. append. 2. ad cap. 9. §. 4.

Lubecensis, qua ordinem succedendi dentur differen-  
tiae, quoad hoc tamen, quod fratres vnilaterales cum  
liberis germanorum non concurrant, consonantiam vtrius-  
que iuris, in sententiis suis atque responsis semper statue-  
runt. (f) Quum autem ius Romanum per supra adducta in  
§. 3. ita vi iuris representationis in horum fauorem dispo-  
suerit, ex eadem ratione etiam iure Lub. liberis germano-  
rum ius potius, quam fratribus vnilateralibus hodie com-  
petere non immerito viderit. Testes vocamus ipsos reui-  
sores iuris Lubec. omni exceptione maiores, qui in prae-  
fatione ingenue satis fatentur: *Dass solch Recht mehrheitheiss  
den beschriebenen Kayserlichen so wohl, als Sachsischen Rechten  
und Gewohnheiten nicht allerdings ungemäss sey.* Quum itaque  
in variis materiis, v. g. de termino maioris aetatis, de  
dote constituenda, de heredis institutione, aliisque ad iu-  
ris communis placita ius patrium sit conformatum, quid  
prohibet, quo minus etiam in successione vicaria, prae-  
fertim, in nostro casu, haecce iura inter se conuenire,  
adseramus. Postquam nimirum ius representationis, iure  
Romano ita fundatum, ut vi illius germanorum liberi paren-  
tum locum occupare, et defuncto vna cum ipsius fratribus  
et sororibus succedere, non minus liberi germanorum,  
quippe parentum personas praesentantes, defuncti fratres  
atque sorores vnilaterales excludere debeant, in vniuerso  
imperio Romano Germanico per legem fundamentalēm,  
Recessum nempe Imperii Wormatiensem de Ao. 1521. §.  
*Machdem auch in gemeinen Rechten versehen 19. introductum*

E 2 est

(f) Celeberr. MANTZEL in iur. Mecklenb. et Lubecens. illustrato  
cent. 2. iud. 17.

est atque confirmatum, omnes consuetudines autem, huic dispositioni contrariae, abrogatae sunt et prohibitae, (g) etiam Lubecae iisque in locis, quae iustitia Lubecensi vntur, secundum hanc legem successio nunc erit determinanda. (h) <sup>str.</sup> Posita autem hac representatione, et quum certo certius sit, fratres et sorores germanos germanasque, vnilaterales indistincte, separati sint, sive minus, a successione excludere, (i) necessario inde sequitur, idem etiam intuitu liberorum a germanis procreatorum obtinere, et superhabita exceptione, seu limitatione in Art. XXII. Lib. 2. T. 2. addita, illos simpliciter, sive parentes ipsorum segregati fuerint, sive in communione permanserint, fratribus defuncti vnilateralibus in successione anteferri.

## §. XII.

Dubium tamen aliquod vel inde oriri poterat, quod in dicta Constitutione Imperiali de concursu liberorum germanorum, cum fratribus et sororibus vnlateralibus, et quod illi hos a successione arcere debeant, ne verbum quidem inueniatur, sed statuatur tantum in illa, quod liberi germanorum, concurrentes cum defunctorum parentum fratribus, simul cum his, secundum praescripta iuris ciuilis, in hoc vnico casu, in stirpes succedere debeant. Quamuis enim Imperator Iustinianus in Nou. 118. iuri representationis fines tam latos adsignauerit, vt vi illius,

(g) vid. hunc Recessum Imp. vii et E-

publ. Acad. p. 112 et 131.

dictum Imperatoris CAROLI V. (h) HARTMANN. in diff. cit. §. vlt.

de ae. 1522. d. 29. Nou. ap. B. (i) STRYCK. de sive, ab int. diff.

SCHMAVSSIVM corp. iur.

3. c. 3. §. 18.

etiam per nepotes germanorum, fratres vnilaterales ar-  
ceantur, tamen eandem etiam Imperatoris Caroli V. in sua  
Constitutione mentem fuisse, ipsa huius legis verba, ut  
credamus, haud permittere videntur, quim praesupponat,  
concursum cum Thiiis, quando ius repraesentationis liberis  
fratrum proficuum esse deberet. Eiusmodi autem Constitu-  
tiones recentiores strictissimae esse interpretationis, ita, ut  
in terminis tantum suis propriis seruandae, nec extenden-  
dae sint ad alias casus, ne quidem ex identitate ac paritare  
rationis, inter omnes notum est. Legislator sine dubio,  
si de exclusione vnilateralium cogitasset, verba legis huic  
casui quoque conformare, et quod in illo non minus, ac  
in casu ibidem expresso ius Romanum obseruandum sit,  
proferre debuisset. De eo autem altum ibi est silentium,  
atque adeo non vniuersum, quam late in iure Iustinianeo  
patet ius repraesentationis, sed tantum eatus receptum  
esse videri posset, quatenus lex Imperii ei ingressum pate-  
fecit. Ut taceamus, ex interpretatione illa Recessus Imperii  
iniquitatem maximam oriri, si vnilaterales, qui secundum  
ius Lubecense, a germanis in pari gradu cum illis consti-  
tutis iam semper excluduntur, propter ius repraesentatio-  
nis, ex iure Romano desumti, adhuc vterius excludi de-  
berent. Praeterea iuris patrii principia domestica, de iure  
communionis, de diuersa successione separatorum et non  
separatorum, de distinctione inter bona hereditaria et ad-  
quisita, de iure retractus et protimiseos, quod sequitur  
naturum, et ius successionis per omnia (das seinen Erbgang  
behält) et similia, successionem iuris cuiusdam extranei, qua-  
tenus illa non expresse introducta, cum illis parum conue-

nientem, haud admittere videntur. Vti itaque Georgius, Dux Saxoniae interposita protestatione contra legem Imperii iuris domestici obseruantiam conseruauit, et iuri representationis cum hac non conciliando, introitum in suis terris denegauit: ita Lubencensibus quoque ex eadem ratione dispensatio ab hac lege noua erit concedenda, quum leges Imperii, quamuis clausula derogatoria munitae, quippe quae vti reliquum ius commune, ius subsidiarium tantum constituant, in prouinciis Germaniae in subsidiuum tantum, atque saluis statutis valent, (k) et quamuis posteriores, statutis in causis priuatis subditorum derogare nequeant. (l) Sed salua vbiuis res est, nec desunt nobis argumenta, quibus ad destruendas hasce obiectiones, et stabiliendam sententiam nostram vri licebit. Non solum enim verba, verum vniuersa Constitutionis Imperialis connexio, verus eius sensus, atque mens legislatoris, in legum interpretatione preeprimis attendenda, causam nostram egregie tueruntur. Plus vna vice lex haecce ad ius commune prouocat, et illius obseruationem inter alia inculcat in casu, vbi liberi fratribus atque sororum in stirpes succedere debent, cum fratribus et sororibus defunctorum parentum, si de successione patrui vel auunculi, amitae vel materterae quaeritur. Verba, quibus legislator ibidem vtritur: *Laut gemeiner beschriebener Kaiserlicher Rechte, Nouellam 118. respicere, absque*

(k) Conf. THOMASII diss. de porestate legislatoria Principum contra ius commune.

*de cautel. testament. c. I. §. 12.  
Id. in us. mod. L. 38. tit. 16. §. 7.*

*BERGER in econ. iur. L. I. tit.*

(l) vid. a COCCETII in prud. iur. publ. c. XXIII. n. 4. STRYCK

*I. §. 28. in fin.*

absque vñteriori probatione quilibet intelligit. Hanc si oculis contrectamus, dispositio, quae in capite illius 3tio continetur, et quae ius repraesentationis fratum liberis in successione collateralium competens firmat, etiam nullum alium, quam modo allegatum casum comprehendit, neque fratres vñilaterales vñico verbo ibi commemorantur. Sed ex hocce iam introducto iure repraesentationis tamquam necessaria consequentia ab Imperatore Iustiniano deriuatur, quod liberi germanorum, fratribus et sororibus vñilateraliibus potiores esse debeant, quando pergit: *Vnde consequens est, ut si forte etc.* Quemadmodum enim certum est, fratres germanos, fratres vñilaterales excludere: ita idem etiam de illorum liberis, qui in parentum locum intrant, eosque repraesentant, valere necessario debet. De Constitutione Imperiali igitur idem non minus dicendum erit, cuius auctorem ea intentione legem suam promulgasse, vt liberis fratum atque sororum beneficium iuris repraesentationis eadem ratione, atque cum eadem extensionae tribueret, ac in iure Iustinianeo hoc factum est, eo minus dubitari potest, quo magis lex noua, de materia iuris communis disponens, omnes huius iuris declarationes recipit, atque secundum legem antiquam distingui et intelligi debet. (m) Non opus itaque erat, vt in lege Imperii, casus de exclusione vñilateralium per liberos germanorum facienda speciatim designaretur, quoniam haec, successione vicaria iuris communis recepta ipso facto simul quoque adpro-

(m) *Lib. 26 et 28. D. de LL. Vid. CARPZOV. in Iprud. for. Conſt. 29. def. 6. n. 7.*

adprobatur. Si vero principia iuri Lubecensi propria atque domestica huic successionis speciei reuera essent contraria, illa tamen quoad hunc passum non amplius adtendenda forent, postquam haec successio per legem Imperii vniuersalem valorem suum accepit, quae consuetudinibus contrariis dicam scriptis, et statuta cum ea pugnantia serio proscriptis. Recessus autem Imperii, qui vim legis atque conuentionis habent, omnes in Imperio Romano-Germanico tam immediatos, quam mediatos perfectissime obligare, dubio caret, nisi dispensatione quis ab hac obligatione fuerit liberatus. (n) Eiusmodi dispensationem quidem impertrahuit Dux Sax. a dicto Recessu Imperii, contra cuius in terris suis receptionem publicam protestationem interposuit, hincque in Electoratu Saxoniae eiusque terris incorporatis ius representationis inter collaterales in succedendo non obseruatur, sed ius Sax. antiquum, vi cuius fratres et sorores viventes praemortuorum fratrum et sororum liberos a successione arcent. (o) De simili autem dispensatione Lubencensibus concessa nihil constat, qui potius dispositionem legis Imperii adgnoscere, illamque in casibus huc pertinentibus sequi, vti reliqui in Imperio tenentur. Quibus accedit et hoc, deteriorem, contra omnem iuris rationem, reddi conditionem, fratrum vtroque latere iunctorum, quam unilaterali, si iure representationis liberi germanorum, in suum commodum contra fratres unilaterales vti non de-  
berent.

(n) ERICVS MAVRITIUS de (o) Land-R. L. I. art. 17. Conf.  
Rec. Imper. §. 30 sqqq. HOFF- CARPZOV. P. III. conf. 18. BER-  
MEISTER in diff. de iure di- LICH. P. III. concl. 24. n. 26,  
spenfandi c. 7. §. 12.

berent. Quum enim germani, liberos germanorum simul concurrentes, vna ad successionem admittere, ipsose locum, et iura parentum suorum vi iuris repraesentationis occupare, pati tenentur, vnilateralibus sane plus iuris tribueretur, quam ipsis germanis, si a iure succedendi liberos germanorum, ademto priuilegio iuris repraesentationis, excludendi potestas iis foret relicta. Meliori itaque iure argumentum ita ducere licebit: si fratres germani, quorum prae vnilateralibus iura praeципua ius Lubecense vbiuis statuit, atque corroborat, liberis fratum germanorum vsum iuris repraesentationis cohibere nequeunt; multo minus fratres vnilaterales, illo eos priuare, et contradictionibus suis illud impedire possunt.

## §. XIII.

Ipse STEINIUS, qui successionem ex iure repraesentationis descendenter, analogiae iuris patrii contrariam, adeoque ex illo prorsus eliminandam esse, demonstrare summis viribus adnitus est, tamen largiri cogitur, ius repraesentationis hodie Lubecae ita valere, ut dispositio Articuli 22. Lib. 2. Tit. 2. iuris Lub. vigorem legis, amplius non habeat, sed nunc etiam secundum ius Lubecense liberos germanorum, in successione ordinaria quoque, in qua nulla communionis bonorum ratio haberur, fratres et sorores vnilaterales semper excludere. (p) Atque ita vsu fori, qui certissimus iuris dubii interpres est, seruari, facile variis praeciduciis ex remotiori atque recentiori aetate

F probari

(p) loc. cit. §. 271. not. \*\* p. 397.

probari posset, nisi otium nobis faceret Adtestatum ab Amplissimo Senatu Lubecensi, ad ICtum quendam Wismariensem, super quaestionibus, hanc successionis speciem concernentibus, ante aliquot annos datum, quod sententiam nostram mirifice illustrans atque firmans, locum magni numeri praeiudiciorum supplere potest, quodque coronidis loco adponere, lectori haud ingratum erit:

**S**ie Bürgermeister und Rath der Kayserl. und des Heil. Röm. Reichs Freyen Stadt Lübeck thun kund und bezeugen hiemit öffentlich,

Demnach der - - - in Wizmar über nachfolgende Puncte;

- 1) Ob nicht das in dem Reichs-Abschiede vom Jahr 1521. §. 19. und in dem Nürnbergischen Edict bestätigte ius representationis überhaupt, und in successione collaterali zu Lübeck angenommen, und, vermöge dieses Vertretungs-Rechtes die Brüder-Kinder cum fratribus germanis zur Erbschafft des vollbürtigen Bruders, oder Schwester beständig zugelassen werden?
- 2) Wie der Art. XXII. Tit. 2. L. II. des Lübischen Rechts, besonders die in demselben vorkommende Worte: Unabgesondert, und abgesondert; anzunehmen, und zu verstehen seyn? Und ob der blosse Actus diuisionis inter fratres et sorores post mortem parentum für eine solche Absonderung

rung zu halten, welche die in dem Lübschen Recht vorgeschriebenen besondern Würckungen nach sich ziehen könne?

Unsere in den Rechten und der Observanz gegründete Meinung sich ausgebeten, und wir desselben Suchen zu deferiren kein Bedenken gefunden; Alß arrestiren Wir hiemit, und zwar

Ad 1) daß obwohl auch nach der Zeit des publicirten Reichs-Abschiedes von 1521. allhier zu Lübeck verschiedentlich theils für, theils wider das Vertretungs-Recht, in der Seiten-Linie, in Absicht auf die Brüder- und Schwestern-Kinder gesprochen worden; dennoch mit dem Anfange des vorigen Jahrhunderts, und wenigstens von 1605. her, beständig und ohne die geringste Interruption, das Vertretungs-Recht bei Brüder- und Schwestern-Kindern allhier in Consideration gekommen, dergestalt, daß diese an ihrer Eltern Stelle getreten, und nicht nur mit ihrer verstorbenen Eltern Geschwistern zur Erbfolge gekommen; sondern auch, Krafft dieses Rechtes ihrer verstorbenen vollbürtigen Eltern, halb-bürtige Brüder und Schwestern ausgeschlossen; wornach man sich allhier von solcher Zeit an beständig im Sprechen gerichtet, und keine andere Meinung angensommen;

Ad 2) Daß die Absonderung der Kinder, wovon in dem Art. XXII. Tit. 2. Lib. II. die Rede ist, hier und in dem ganzen Lübschen Rechte, «in mehreres, als eine blosse Theilung der Kinder nach der Eltern Tode anzeigen, und absonderlich diejenige Handlung bedeute, wodurch die Kinder von den Eltern mit Genehmigung derer, welche ein Interesse dabs-

haben, durch Bestimmung eines gewissen Theils aus den gemeinschaftlichen Gütern von der bisherigen Gemeinschaft der Güter öffentlich ausgeschlossen werden; mithin dasjenige, was in dem nur gedachten Artikel vorkommt, auf die bloße Theilung nicht zu appliciren, und solchergestalt der Halbbruder des verstorbenen vollblütigen Bruders oder Schwestern-Kindern, wenn deren Eltern gleich bey ihren Lebzeiten mit den übrigen Geschwistern den väterlichen Nachlaß unter sich getheilet, in der Erb-Folge nicht vorzuziehen sey.

Zu Urkund dessen haben wir diesen offenen Schein darüber ertheilen, und solchen wissenschaftlich mit Unsern Stadt-Signet bestärken lassen. So geschehen Lübeck, den 4 Mart. 1758.

T A N T V M.




**ULB Halle**  
001 601 61X

3



TA->OC





1762, 2, 3, 18  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVG<sup>R</sup>ALIS IVRIDICA  
DE  
**FVNDA<sup>M</sup>ENTO PRAE<sup>L</sup>ATIONIS**  
**QVO IVRE LVBE<sup>C</sup>ENSI GAVDENT**  
**IN SVCCES<sup>S</sup>IONE LIBERI FRATRV<sup>M</sup>**  
**GERMANORVM PRAE<sup>E</sup>FRATRIBVS**  
**VNLATERALIBVS**  
ILLVST. J. CTORVM COLL. AVCTORITATE  
PRAE<sup>S</sup>IDE  
VIRO ILLVSTRI ET CONSVLTISSIMO  
**D. CAROLO FRIDERICO WINKLERO**  
CONSILIARIO CANCELL. IVRIS ANTECESSORE  
FACVLT. IVRIDICAE NVNC DECANO  
PRO  
**LICENTIA**  
HONORES IN VTROQVE IVRE SVM<sup>M</sup>OS CONSEQUENDI  
A. D. XXVIII SEPTFM<sup>B</sup>R. CIO CCC LXII  
PROPOSITA  
AB  
AVCTORE  
**ANDREA CHRISTOPHORO AHRENS**  
MEGAPOLIT.  
IVDICII INFER. LVBE<sup>C</sup>ENS. PROCVRATOR<sup>E</sup>

KILIAE  
EX OFFICINA BARTSCHIA